


LUNÆ DIE 18 M. IVNII A.2001

A.d. XIV Kal. Iulias a. MMI

IO2

# M E L I S S A

---



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA



EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0)2 735.04.08. / Telecop. 02.735.51.32. / [guy.licoppe@pophost.eunet.be](mailto:guy.licoppe@pophost.eunet.be)  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## DE SEMINARIO BRASILIENSI

- *narravit David Morgan* -

Rectissime Gaius Licoppe in Melissæ fasciculo centesimo affirmavit Latinitatem non ad Europam dumtaxat spectare, sed ad totum terrarum orbem. Ipsi enim antipodes nunc Latine loquuntur. Cuius rei adsum oculatus testis, itinere absoluto longissimo ad urbem Portum Alacrem Brasiliæ, ubi habitus est a die 12 ad diem 15 Aprilis « *Conventus Internationalis Latinitatis Vivæ* », moderantibus Eduardo Engelsing et Myrna Appel, auspiciis Circuli Latini Portualacrensis, Foundationis Melissæ, Societatis denique Latinæ Saravipontanæ. ¶ Ipse aliquot ante conventum diebus ad Portum Alacrem adveni, ut esset otium tam urbem quam Circuli Latini sodales diligentius cognoscendi. Victorius Ciarrocchi Pisaurensis - qui propter luculentas epistolas electronice divulgatas Latinitatis cultoribus iam pridem innotuit - paulo post in Brasiliam peruenit, iter vere Ulixium ex Italia emensus. Itaque contigit mihi una cum Victorio atque Eduardo Circulique sodalibus quibusdam urbem invisere.

¶ Portus Alacris metropolis est illius Brasiliæ regionis quæ maxime ad austrum vergit ; unde cælo fruitur clementi, absuntque ardores quibus magna pars Brasiliæ laborat. Urbi mediæ alludit flumen ingens, vel potius fluminis æstuarium ; suburbia inter colles virentes late sparsa sunt. Ipsi Alacrenses nomini aptissime respondent ; sunt enim mirum in modum hilares atque affabiles. Satis magna pars incolarum stirpe orta est Germanica aut Italica, quandoquidem hæc Brasiliæ regio permultos ex Italia Germanique advenas sæculo 19 atque 20 ineunte accepit. Ceteri incolæ vocabulo vernaculo « *gauchos* » vocantur, hoc est fere « *armentarii* », quia boum armenta in agris custodire erant soliti ; hi fere a colonis Lusitanis originem repetunt suam.


¶ Scholis linguæ Latinæ, quas Eduardus Engelsing habere solet, bis terve ante conventum incohatum interfui. Is iuvenis miram docendi rationem mireque efficacem suo Marte excogitavit, ita ut ex primo die nullum verbum inter scholas nisi Latinum umquam audiatur, normæque grammaticæ exemplis magis quam præceptis addiscantur. Cuius methodi successus est manifestus : vidi discipulos qui tres ante septimanas sermonis Latini studium incohasent non balbutire tantum, verum integras sententias Latinas proferre. Eduardus, qui nunc annum vicesimum octavum agit, linguam Latinam in studiorum universitate ante tradebat ; discipuli propter modum discendi activum vehementer gaudebant ; rei successus in actis diurnis, per televisionem referebatur. Viva Latinitas omnibus ardebat, nisi - id quod fieri assolet - professoribus academicis. Ita factum est ut abhinc annum vel paulo plus Eduardus in Institutum Goethianum Portus Alacris

migraverit, ubi pergit Latine more suo docere, discipulorum numero studioque semper crescente. Instituta Goethiana - quod nemo nescit - ad linguam Germanicam tradendam ac propagandam sunt variis in locis condita. Sed propter tam Eduardi suadelam quam rectoris Instituti perspicentiam effectum est ut hoc solo in Instituto Goethiano non Germanorum sermo tantum, sed Romanorum quoque doceretur. ¶ Ipse Conventus Latinitatis Vivæ celebratus est a Feria Quinta ad ipsam usque Paschatis diem, quo tempore Brasilianus ut alii solent feriis gaudere. Locus erat Iesuitarum seminarium quoddam, ab urbe non longe dissitum, atque frondosis hortis circumcinctum : hic subsellia sub arboribus posita dicturientibus Latine iucundissima præbebant conciliabula. Participes viginti quinque numero erant ; quorum Victorius Ciarrocchi et ego peregre veneramus ; tres e civitate Brasiliica longinqua, Fodinis Generalibus vocata (ex his una præses est Societatis Studiorum Classicorum totius Brasiliæ) ; porro viri duo aderant qui litteras Latinas in universitatibus Catholicis docent, quique diu soliti sunt sermonem Latinum inter docendum adhibere ; ceteri omnes denique sodales erant Circuli Latini Portus Alacris, atque horum pæne omnes Eduardi scholas participarant. Primum conventus consessum Eduardus Myrnaque sunt auspicati, qui postquam participes salutarunt, effecerunt ut omnes iurarent se nihil nisi Latine per totum quadriduum esse dicturos ; quod ius iurandum optimi vini Argentini haustu factum est inviolabile. ¶ Cum totum conventum, qui suavissimis sermonibus, ludis, cantibus, iocis, lectionibus est consumptus, in præsentia narrare non vacet, rem tamen maxime memorabilem paucis tangam, nempe acroamata quæ vespera ultima habita sunt. Sub cenam seminarii sacellum concentu musico personuit ; chorum Latine canentium moderata est Myrna Appel, femina nulla non arte apprime docta ; canentibus succinebat organum pneumaticum miræ fabricæ, quippe cuius fistulæ sunt omnes harundinarum Indicarum segmenta. Deinde variæ fabellæ scenicæ a participibus exhibitæ sunt, quarum una tota constabat carminibus Catullianis, actaque est longe ab ædibus in silva, nocte iam intempesta, ita ut luminis nihil esset nisi a facibus, quas Lesbia atque eius amasii gestabant. Quæ res non cito ex memoria excidet, præcipue cum actores silvam una cum spectatoribus iam incensuri atque combusturi essent, nisi iuvenis quidam prompto animo præditus folia e tædarum igne iam flagrantia dicto citius conculcasset. Postremo Victorius noster in seminarii mediano fabulas quasdam ac clarorum virorum facetias illo suo lepore retulit. Iam dormitans paulo post noctem

mediam hortos iterum perambulavi, ubi adolescentes iam subtemulentos - hi enim somno egere omnino non videbantur - ridentes audiui iuxta lacum atque garrientes semper Latine. Simul oculos ad cælum sustuli, nescio qua causa, quod vidi totum sideribus stellisque fulgens, quas numquam ante conspexeram.

¶ Spe tenentur Myrna et Eduardus venientibus quoque annis conventus Latinos apud Portum Alacrem actum iri. De quibus si quis certior fieri velit, epistolam mittat ad Eduardi inscriptionem electronicam : [eduengel@portoweb.com.br](mailto:eduengel@portoweb.com.br) ❧

*Historia naturalis Brasiliae, in qua non tantum Plantae et Animalia, sed et Indigenarum morbi, ingenia et mores describuntur et iconibus supra quingentas illustrantur*, Lugduni Batavorum apud Franciscum Hackium et Amstelodami apud Lud. Elzevirium, 1648.



Hic proponuntur paucae lineae excerptae e capitulo c.t. De medicina Brasiliensi, a Guilielmo Pisone conscripto, pp. 6-8.

« ... Hæc breviter de ære, aquis et locis dicta sufficiant. Quorum optima utique temperies parum culpabilis ex se. Quippe cum neque solis calore torreatur hæc terra, neque squalore vel aquarum penuria resiccet, neque frigore violetur, sed rore perpetuo et imbribus multis atque fontibus irrigetur, feracissimam esse, multaque illic tempestive nascantur oportet. Præterquam enim quod nativis balsamis, oleis, mellibus non unius generis renideat, herbis ac radicibus medicis ad tutandam valetudinem potens sit ; quæstuosissimam quoque culturam dat, quantum ex aliquot retro annorum messibus colligi potuit. Animalia denique omnia et boum imprimis armenta vel maxime abundare, crebriusque parere certum est. Unde prudenter quondam Hispani senes, valetudine minus prospera utentes, ex patria sua et dissitis quoque Indiis ad ærem et aquas hasce cælestes se contulerunt, tamquam duo validissima ad vitam et valetudinem requisita. Præmature enim pubescunt, tarde senescunt incolæ. Quo fit ut supra

centesimum ætatis annum viridi et longæva senecta Brasiliani et ipsi quoque Europæi hic potiantur. Ac si fervor iuvenilis, frigore senectutis repressus, temperationem eam in his calidioribus plagis relinqueret. Pueri enim advenarum, crebris licet morbis infestentur, vixque tertia pars eorum infantiam egrediatur, non tamen id cæli intemperiei adeo quam præpostero nutriendi modo debet imputari. Exemplo erunt vel maxime Brasilianorum liberi vivacissimi, qui ventre duro et prominulo, solidis toris, subucula tantum levioze induti, iniurias cæli secure contemnunt brevissimoque temporis spatio signare humum nituntur. Rident matres ineptam nostrarum in vestiendis et educandis parvulis industriam, qua perspirationem impediri et catarrhos multos generari aiunt. Nulli Strabones, Lusciosi, Claudi aut gibbo deformati inter illos inveniuntur, cum fasciis aut linteolis infantes numquam involvantur, aut Europæorum more ligentur... » ❧

# DE VSV ET VARIETATE LINGVARVM IN EVROPA COGITATIONES

- proposuit *Volfgangus Jenniges* -

PROLEGOMENON

**F**inis erat et propositum huius acroaseos, quæ mense Septembri anni bis millesimi inter seminarium Erycinum est habita, cogitationes aliquot coram proponere, idque simplicissimo sermone parumque ornato, quibus postea disputationi impetus darentur et argumenta. Quæ cogitationes, ut res postulat, argumentum leviter tangebant, cum altius vastam illam provinciam linguarum Europæarum per præstitutum tempus non liceret investigare. Insuper consulto, modo plus modo minus dictum est quam veritas reapse patitur, non solum quia res simpliciores reddere non numquam erat necesse - et simpliciora non semper sunt veriora -, sed etiam quod illis verbis oportebat ansa disputationi præberetur.

Constabat autem oratiuncula tribus partibus :

Primum generatim de varietate linguarum in Europa dictum est, cum haud esset inutile conspectum huius rei magis generalem proponere, qui respiceret et historiam et nostri temporis condiciones.

Dein de usu linguarum in institutis Europæis nonnulla sunt addita. Crescit enim in dies horum institutorum pondus, crescit auctoritas ; magnique momenti est intentius quam plerumque fit animum ad eas res quæ ad cultum nostrum civilem et linguas spectant advertere.

Postremo nonnulla dicta sunt de prospectu futuro, de Latinitate eiusque emolumento.

I.

Orationis initio præsto sint duo exempla quibus facunde liceat argumentum adumbrare.

Ante aliquot menses Confederationis Europææ moderatores decreverunt sententiam communem eandemque

publicam, sive *officiale*m quam vocant, Europæam esse eligendam. Quæ sententia ex permultis a discipulis variarum scholarum in Europa propositis selecta est hæc :

EVROPA : IN VARIETATE CONCORDIA.

Diligentius insipienti statim apparebit his vocabulis « varietatis » et « concordia » aliquatenus inter se pugnancia coniungi, ut a non nullis, etiam in his commentariis periodicis, iam animadversum est<sup>1</sup>.

Etenim ad veri nominis « concordiam » necesse est « eadem velle et eadem nolle », quod non ad coniurationes tantum, sed in rebus publicis agendis et gubernandis generatim valere neminem fugiet. Difficilius autem videtur amico fœdere iungi atque pacari omne genus « varietas » (tritum est et usitatum) sententiarum, ingeniorum, mentium, religionum, linguarum, cultuum civilium, artium et litterarum, historiae, cladum et victoriarum, indolum et cæli, gentium, marium et feminarum, et ita porro. Et si qua concordia inter hæc paranda est, quæsitum est utrum omnis varietas evanescat oporteat, an saltem, communi quadam ratione necessario cœrceatur, ad simpliciorum gradum vel formam redigatur angustiorve fiat. Et quæ erit hæc ratio ? a quo decernenda ? quibus imponenda ? Insuper num necessarium ? num in votis est talis æquatio ? Essetne hæc vera « concordia » ? Sin autem, quo modo concordia efficietur ? Nonne differentia, dissensiones, immo, lites et bella inter mortales quolibet tempore exstiterunt ? nonne perpetuo exstabant ? Tribus vocabulis prolatis - IN VARIETATE CONCORDIA -, multas iam exortas comperimus quæstiones.

LATINE	SENTENTIA EVROPÆA	ANNVS EVROPÆVS LINGVARVM 2001
Hispanice	IN VARIETATE CONCORDIA	LINGVIS PATENT ADITVS
Danice	Unidad en la diversidad	Los idiomas abren puertas
Theodisce	Mangfoldighed og enhed	Sprog åbner døre
Neogræce	Einheit in der Vielfalt	Sprachen öffnen Türen
Anglice	Ενότητα της πολυμορφίας	Οι γλώσσες ανοίγουν ορίζοντες
Francogallice	Unity in diversity	Languages open doors
Italice	Unité dans la diversité	Les langues ouvrent des voies
Nederlandice	L'unità nella diversità	Le lingue aprono molte porte
Lusitane	Eenheid in verscheidenheid	Talen openen deuren
Finnice	Unidade na diversidade	As línguas abrem portas
Suetice	Erlaisina yhdessä	Kielitaito avaa ovia
Catalaunice	Mångfald och enhet	Språk öppnar dörrar
Hibernice	---	Els idiomes obren portes
Luxemburgice	---	Teangacha - as ballaí fuinneog
Norvegice	---	Sproochen maachen d'Diren op
Islandice	---	Språk åpner dører
		Tungumál ryðja brautina

Accedit quod nuper, mense Iulio, iidem Confœderationis Europææ moderatores annum proxime futurum bis millesimum primum « annum Europæum linguarum » i.e. linguis dicatum, fore decreverunt. Est autem hoc inceptum quod a Confœderatione Europææ et Concilio Europæ, Argentorati sito, simul instituitur, quo Europæ linguarum varietas celebretur omnibusque pateat aditus ad linguas Europæas discendas. Cui eventui, ut moris est, etiam sententiam publicam adiungi opus erat. Quam sententiam non discipuli certamine publico sed ipsi moderatores suo Marte statim decreverunt hanc :

LINGVIS PATENT ADITVS.

Nonnulla videntur hic quoque adnotanda.

In universum æstimanti patet non posse negari per multa emolumenta iis esse qui plures et varias noverrint linguas, per multa ea de causa iis patere, in primis cultum civilem et litteras, et aliquatenus ingenium gentis et indolem. Insuper docemur experientia novas linguas discentibus haud minimo esse emolumento alias iam didicisse, i.e. : quo plus quis linguas callet eo facilius novas discet. Quod præsertim valet in illis linguis addiscendis quæ inter se necessitudine quadam sunt coniunctæ. Et rectum est quod philosophus quidam dixit : alicui tot esse vel tot patere cultus civiles, quot callet linguas.

Aliud est quod ab investigatoribus compertum habemus qui in consortionis humanæ condiciones incumbunt indagandas et explanandas (sive in *sociologiam* quam barbarismo vocant nostrates), maiorem scilicet partem puerorum quibus duæ vel plures linguæ sunt a parentibus traditæ maturius inter vocabulorum vim vel significatum et litterarum sonos distinguere valere quam alios quibus una tantum lingua est, quibusque talis distinctio non nisi biennio vel triennio post sueta fit. Experimentum autem – quod Anglice est factum<sup>2</sup> –, hoc constitit tentamine : proponuntur pueris varia vocabula inter se simillima, velut CAP CAN HAT (i.e. cucullus, cantharus, petasus). Pueri quibus una tantum lingua est sua sponte vocabula propter sonorum similitudinem seligunt quæ sunt CAP CAN (i.e. cucullus, cantharus), significatum minime respicientes. Illi autem quibus duæ linguæ sunt vocabula quæ sunt CAP HAT componunt (sc. cucullus, petasus).

Est ergo emolumentum quoque maturitatis cuiusdam in linguis addiscendis. Insuper agnoscendum est in muneribus quærendis, sive publicis sive privatis, in

studiis maioribus sive philologicis sive aliis faciendis atque rerum publicarum regendarum si cui participem sociumve fieri in animo est scientiam variarum plurimumque linguarum non numquam esse necessariam, numquam non utilem.

Tamen : quibus linguis patent aditus ? Num omnibus ? Patebuntne multi aditus (puta) Islandice locuturo ? Nonne maxima inter linguas hac in re differentia est ? Etenim aliæ sunt minores, aliæ maiores linguæ, aliæ parvis finibus inclusæ et in angulo relegatæ, aliæ maximo spatio per orbem prolatae. Nonne plus uni alterive quam alii patebit aditus ? Quomodo servabitur in hoc iusta ratio et æqua ? Num crimini dandum si quis lapo Anglicam potius quam Islandicam linguam addiscere velit ?



Sed ad rem ipsam iamiam pervenire iuvat : varias profecto et multiplices exstitisse et esse linguas sermones dialectos loquelas in vetere hac continenti non est qui nesciat : tot sunt et cultus civiles, ut supra attigimus, tot litteræ, tot ingenia, quot sunt linguæ. Romanicæ sunt, ut grammaticos sequamur, ex Latino sumptæ : Italica, Hispanica, Francogallica, Occitana, Dacoromanica, Rhætica, Lusitana, Catalaunica, aliæ... ; Græca exstat popularis velut a nostratibus adhibetur, variis alienis vocabulis saturæ instar eidem admixtis ; Germanicæ sunt, velut Anglica, cui plus quam dimidia pars vocabulorum ex Francogallico adiuncta est, et Theodisca quam quarta pars incolarum Confœderationis Europææ sermonem habet patrium ; Slavicæ, Celticæ, Balticæ, singulares non nullæ velut Hungarica, Finnica, Æstonica, omnino sui iuris sui que generis Vasconica. Plus sunt quam centum in toto orbe Europæo linguæ, Islandiæ ab oris usque ad Caucasum, Europæ terminum.

Varietatem autem illam maximam eodem studio non omnes prosequuntur, et quod nonnullis turris Babylonia videtur esse, quam primum secus casura, immo : vi omni diruenda, aliis ingens est margaritarum thesaurus religiose custodiendus perpetuoque locupletandus. Videbimus huic linguarum et ingeniorum multitudini quam modo adumbrabamus aliam convenire multitudinem opinionum animorum sententiarum.

# QVÆSTIONES HODIERNÆ


<i>Lingua</i>	Numerus civium Confœderationis Europææ quibus hæc lingua est sermo patrius	Numerus civium Confœderationis Europææ qui hanc linguam didicerunt secundam	Summa locutorum huius linguæ in Confœderatione Europæa
<i>Theodisca</i>	24%	8%	32%
<i>Francogallica</i>	16%	10%	26%
<i>Anglica</i>	16%	31%	47%
<i>Italica</i>	16%	2%	18%
<i>Hispanica</i>	10%	4%	14%
<i>Nederlandica</i>	6%	1%	7%
<i>Neogræca</i>	3%	0%	3%
<i>Lusitana</i>	3%	0%	3%
<i>Suetica</i>	2%	1%	3%
<i>Danica</i>	2%	0%	2%
<i>Finnica</i>	1%	0%	1%
<i>Aliæ</i>	2%	4%	6%

INDEX LOCUTORVM ALIARVM LINGVARVM PRAETER SERMONEM PATRIVM IN EUROPA			
<b>In Belgia sat expedite loquuntur</b>		<b>In Dania sat expedite loquuntur</b>	
Anglice	42%	Anglice	76%
Francogallice	37%	Theodisce	50%
Theodisce	15%	Francogallice / Suetice	8%
<b>In Germania sat expedite loquuntur</b>		<b>In Græcia sat expedite loquuntur</b>	
Anglice	41%	Anglice	39%
Francogallice	9%	Francogallice	5%
aliud <sup>3</sup>	7%	Theodisce	3%
<b>In Hispania sat expedite loquuntur</b>		<b>In Francogallia sat expedite loquuntur</b>	
Anglice	17%	Anglice	30%
Hispanice <sup>4</sup>	9%	Hispanice	7%
aliud <sup>3</sup>	9%	Theodisce	6%
<b>In Hibernia sat expedite loquuntur</b>		<b>In Italia sat expedite loquuntur</b>	
Francogallice	12%	Anglice	28%
aliud <sup>3</sup>	9%	Francogallice	17%
Anglice	6%	Theodisce	3%
<b>In Luxemburgo sat expedite loquuntur</b>		<b>In Nederlandia sat expedite loquuntur</b>	
Francogallice	88%	Anglice	78%
Theodisce	81%	Theodisce	57%
Anglice	53%	Francogallice	14%
<b>In Austria sat expedite loquuntur</b>		<b>In Lusitania sat expedite loquuntur</b>	
Anglice	51%	Anglice	23%
Francogallice	8%	Francogallice	18%
Italice	6%	Hispanice	6%
<b>In Finnia sat expedite loquuntur</b>		<b>In Suetia sat expedite loquuntur</b>	
Anglice	51%	Anglice	77%
Suetice	33%	Theodisce	24%
Theodisce	11%	Danice / Francogallice	6%
<b>In Britannia sat expedite loquuntur</b>			
Francogallice	9%		
Theodisce	5%		
Anglice	3%		

Notissimum est Anglos plerosque existimare aliam linguam ac proprium sermonem patrium addiscere plane inutile esse, cum totus orbis Anglice, licet pessime fiat plerumque, et loqui videatur et intellegere valeat. In ipsa Europa, ut supra demonstratum est, pæne dimidia pars civium Anglice loqui valet. Eiusdem sententiæ Anglo-Americani plerique videntur esse, quibus quamvis (ut aliquis per iocum dixit) cum Anglis omnia præter linguam sint communia, Anglos multis in rebus similiores esse quam aliis Europæis contendere non est absonum. Ceterum præsertim in America tanta sunt spatia atque intervalla ut maxima liceat itinera facere antequam ad aliam civitatem pervenias, alium cultum civilem videas, aliam linguam audias : deest ergo plerumque linguarum necessitudo, deest huius rei conscientia quæ nobis Europæis cotidie ob oculos versatur, et interdum velut Damoclius gladius capitibus nostris imminet. Quam igitur sententiam – totum scilicet orbem utcumque Anglice loqui – si non aliorum contemptu, saltem pigritia quadam desidiave non numquam teneri a veritate non nimis abhorret. Verum est Anglicum sermonem non tantum in scientiis et rebus *electronicis* quas vocant, sed in commerciis inter nationes generatim nunc esse usitatissimum, unumque eum esse sermonem in toto orbe quem plus adhibeant

peregrini quam ipsi patrii locutores, linguam insuper Anglicam hanc esse in primis quam peregrini plerumque magistri peregrinos doceant discipulos (pessima ratio !) per totum orbem dispersos. Certe in his etiam non minimum periculum est, neque desunt Angli philologi (velut vir doctus David Crystal) qui diligentius perspicaciusque ut mihi videtur præmonent Anglicum sermonem propter usus parum consideratos pedetemptim sed necessario divisum iri impurioremque in dies esse evasurum.

Francogallorum rectores inde præsertim a regni rerumque traditarum eversione – ut probe scitur – exeunte sæculo duodevicesimo patrata, summa contentione expetunt unam esse et unicam civitatem eique unam unicamque linguam, Francogallicam scilicet, respondere debere, ceteris omnino ademptis. Huius condicionis multa sunt exempla. Notissimus fortasse huius sententiæ potiusve dicam : huius fidei fautor istis temporibus singularis ille vir fuit Henricus Grégoire – qui fuit sacerdos, *l'abbé Grégoire*, quique unus fuit ex illis multis viris ecclesiasticis in Francogallorum historia qui res politicas potius quam propriam sibi religionis pietatisque provinciam curare videbantur –, cuique a novis hominibus anno 1794



Bruegelii Turris  
Babylonia



commissum erat omnium linguarum earumque in Francogallia condicionum recensionem facere eruditione artisque præceptis innixam, quo melius postea loquelæ dialecti sermones linguæ, quæ præter dialectum vigeabant Parisinam, vi dolove funditus eradicarentur stirpitusque adimerentur<sup>5</sup>. Neque res finita : per totum sæculum quod undevicesimum numeratur, ultimis præsertim illius sæculi decenniis, idem vigeabat spiritus scholas publicas in primis inficiens. Qui mirus cultus linguæ præter scholas etiam cultum civilem et usus humanos afficit, omnemque cogit adimi varietatem, etenim usque in hunc diem in Francogallia lex viget (inter alias) qua prohibentur prænomina quæ non sint ex Francogallico sumpta<sup>6</sup>. Est ergo lingua Francogallica eiusque cultus civilis, velut a rerum publicarum in Francogallia moderatoribus percipitur, furibundus quidam modus cogitandi et agendi qui religionis instar omnem civem totumque hominem sibi vindicat. Sic dici nequit desidia Francogallos laborare, neque immerito modo vituperari modo laudari videntur eorum nimium studium nimiave superbia aliorumve contemptus.

Idem dic – mutatis mutandis – de iis præsertim populis qui sæculo præterito civitatem sint adepti sui que iuris facti, quique variis rationibus variis modis eandem ex Francogallorum institutis mentem usurparint.

Aliter res se habuit et habet in Germania, ubi per multa sæcula una non exstitit neque adhuc re vera exstat civitas, cum fuerit antiquitus imperium sitve nunc res publica ex variis civitatibus vario modo sui iuris manentibus composita, atque inter civitatem et nationem linguamve bene accurateque distingui solitum est. Etenim usque in hunc diem in iure Germanico huiusmodi distinctio viget, e.g. in legibus provinciæ Slesvigensi, ubi minor pars incolarum Danicæ est originis, et in Austria, ubi minor pars incolarum sunt Sloveni Hungari Croatæ alii, qua distinctione iure sinitur aliquis Danus dici natione (et lingua), Germanus civitate ; similiter Slovenus natione, Austriacus civitate. Est ergo in Germania aliud natio (ad quam inter alia spectat lingua), aliud civitas. Sic non mirum quod multi fuerunt vel sunt qui iure contenderint vel contendant Germanos se esse natione quidem, civitate autem Bávaros, Saxonos, Borussos, Austriacos ; alii que Germanos (vel Austriacos) civitate quidem, natione autem et lingua Danos, Francogallos, Italos, Sorbios, Polonos, immo (idque recentius) Turcos se esse gloriantur.

Neque huic sententiæ aliarum linguarum contemptus necessario accedit. Certe duodecim istis annis, quibus

rerum potita est factio Hitleriana, odium non tantum nonnullarum linguarum et nationum sed re vera phyleticam rabiem summo cum dedecore invaluisse non est qui neget. Etiam sæculo præterito, per aliquot decem annos inter istam certationem cultui civili servando (« *Kulturkampf* ») quæ dicebatur quæque a principe Bismarck contra catholici nominis præsertim fautores erat illata, aliquando linguæ quoque contemptus vigeabat, e.g. in extrema provincia Posnaniensi ubi maior pars Polonorum vivebat. Sed fatendum est tales condiciones in Germaniæ historia generatim inter exceptiones esse numerandas. Odium sui – mirabile dictu – magis prolatum est quam aliorum ; satis est, ut taceam recentiora, Friderici illius nominis secundi Borussæ regis mentionem facere qui proprium sermonem patrium contemnens cum eruditioribus aulæ suæ viris – etiam Germanis – non nisi Francogallice loqui volebat. Ceterum usque ad sextum vel septimum circiter sæculi præteriti decennium legatorum regis Borussæ ad propriam aulam nuntii et scripta necessario Francogallice componebantur et qui publicarum legationum cursum in Borussia inire cupiebant Francogallice scribere valerent oportebat. Tamen, ut probe scimus, Borussi Francogallos eorumque in rebus publicis regendis consilia atque instituta in oculis non ferebant.

Sic miro quodam casu apud Germanos in more institutoque positum fuisse comperimus quod Francogallis inauditum, Anglis ridiculum videretur.

Est ergo in Europa varietas, eaque maxima et multiformis : varietas est linguarum et opinionum sæpius inter se pugnantium.

Transeamus autem ad instituta : exstant nunc et operantur varii generis in Europa instituta supra gentes et civitates posita : quo modo hæc varietas tractetur, utrum æqua fiat concordique ratione nunc erit quærendum.

## II.

Post alterum inter omnes gentes bellum gestum necessitas veræ pacis verique nominis concordiæ, præsertim in Europa, inter Germanos et Francogallos, in dies magis urgebat. Insuper dissensionibus inter victores, inter Anglos scilicet et Americanos ex una, Russosque ex altera parte, sat celeriter exortis, fœdus quoddam parandum videbatur et sancendum quod in rebus publicis regendis et œconomica disciplina communi ratione gerenda illas saltem civitates Europæas quæ ad occidentem vergant firmiter inter se iungi componique

valeret. Simile Fœdus, Atlanticum quod vocamus, institutum est ad belli studium moderandum pacemque armis atomicis minitantibus servandam. Quod illis præsertim temporibus et generatim usque ad eversio-nem Muri Berolinensis plerisque nostrum necessarium videbatur non tantum ad illam Russiæ moderatorum eorumque satellitum doctrinam repellendam, quæ barbara voce *communistica* dici solet, quæque privatorum bonorum in communem quandam usum æquationi publicationique favebat vi armisque utique efficiendis, verum etiam ad Europæas civitates artius cum Americæ Civitatibus Fœderatis coniungendas harumque in rebus quæ ad mercaturam spectant potes-tati subigendas.

Primum anno iam 1949 Argentorati Concilium Europæ quod dicitur institutum est inter gentes et civitates, numero nunc nisi fallor quadraginta, ex partibus Europæ et orientalibus et occidentalibus. Cui Concilio et quindecim Confœderationis Europææ quæ nunc sunt civitates sociæ se adiunxerunt. Concilium autem Europæ spectat ad totam provinciam rerum publicarum inter civitates et civitatum moderatores componenda-rum, illis rebus exceptis quæ ad bellum moderandum salutemque publicam tuendam pertinent. Lingua autem publicæ Concilii Europæ sunt numero duæ : Anglica et Francogallica, neque umquam earum nume-rus mutatus est.



Sed brevi liceat in mentem revocare quo rerum cursu ad illam quæ nunc est Confœderationem perveneri-mus Europæam :

¶ Anno 1951 Lutetiæ Parisiorum nominibus sex civita-tum - Belgii, Bataviæ, Luxemburgi, Germaniæ, Francogalliæ, Italiæ - subscribitur Fœdus quo consti-tuitur Communitas Europæa Carboni Chalybique regendis. Sic curabatur ut materiæ belli, velut chalybs vel ferrum, summa quadam et communi auctoritate regerentur.

¶ Anno 1957 Romæ constituuntur Communitas Europæa rebus œconomicis gubernandis et Communitas Europæa vi atomicæ temperandæ.

¶ Anno 1968 in unum confunduntur instituta harum trium Communitatum, quæ exinde numero plurali vocantur Communitates Europææ.

¶ Anno 1973 his Communitatibus accedunt Britannia et Hibernia et Dania.

¶ Anno 1981 accedit Græcia.

¶ Anno 1986 accedunt Hispania et Lusitania.

¶ Postquam iam anno 1987 Communitatis potestas etiam ad novas provincias est extensa, naturæ videlicet circumiectisque tuendis, scientiæ progressionique favendis, œconomicæ disciplinæ perficiendæ nummo-rumque rationi componendæ, anno 1993 Traiecti ad Mosam Fœdus illud sancitum est quo Confœderatio Europæa quæ nunc est tribus fundamentis creatur : pristinis nempe Communitatibus in unum coniunctis, ut supra demonstratum est, dein communi quadam ratione ad res externas gerendas et publicam pace bel-loque tuendam salutem, demum communi quodam modo ad res internas et forenses componendas.

¶ Kalendis Ianuariis anni 1995 accedunt huic novæ Confœderationi Finnia, Austria, Suetia. Creabatur quæ nunc est Confœderatio Europæa quindecim civitatum sociarum.

¶ Instant nunc (in annum 2002 vel 2005 vel postea) sex novæ civitates : Hungaria, Slovenia, Bohemia, Polonia, Æstonia, Cyprus. Instant et Turci.

Iam ab initio viris Europæis in animo fuisse videtur non civitates tantum et instituta publica sed civium animos quoque et ingenia inter se coniungere. Suntne mera verba ? In proœmio Fœderis Traiectini dicitur « in dies firmiorem inter populos Europæos coniunc-tionem » esse adipiscendam, esse constituendam ; non ergo de nummis tantum, de agri cultura, de machinali industria fabricarum renovanda agitur, et profecto Fœdere Traiectino nonnulla de cultu civili et de lin-guis atque de institutione publica sancuntur, ex quo illa sequebantur incepta, quibus illustria indebantur cognomina quæ sunt e.g. ERASMVS LEONARDO SOCRATES.

Maius autem momentum in hoc est, ut mihi quidem videtur, quod leges Confœderationis Europææ, velut consulta, derecto in ipsis civitatibus sociis valent neque eas populares, qui sunt in ipsis civitatibus sociis legibus ferendis sancunt legati. Sic lex Europæa ex quo a Concilio administratorum publicorum sancitur eo ipso simul est lex non Europæa tantum, sed etiam Danica, Germanica, Belgica, Francogallica, Italica et ita porro. Sequitur ut quivis civis Europæus sciat oporteat quæ sint leges quibus tota in qua vivit civitas obligatur regitur devincitur. Hac de causa dubio procul optabile est ut quivis nostrum has leges propria cognoscere valeat lingua quam calleat et bene intellegat.

Inde factum est ut anno iam 1958, postquam constitutæ sunt illæ tres Communitates, quas supra memoravi, primo omnium consulto Concilii administratorum publi-

corum quod dicitur, in quo summa est posita auctoritas, usus linguarum publicus sit definitus : singulas scilicet linguas publicas singularum civitatum sociarum linguas fore publicas totius Communitatis Europææ. Sic decursu temporum undecim linguæ publicæ sunt renuntiatae : primum fuerunt quattuor : Francogallica, Theodisca, Nederlandica, Italica (non Anglica !), dein accesserunt Anglica et Danica, postea Græca, Lusitana, Hispanica, tandem Finnica, Suetica.

Concilii consultum n. 1 - 15.4.1958  
ad usum linguarum definiendum  
in Communitatis Europææ institutis  
CONCILIVM CONFÆDERATIONIS EVROPÆÆ,

animadverso capite 217 Fœderis, quo usus linguarum in institutis Communitatis a Concilio unanimi consensu definitur, non posthabitis Iudicii rerum agendarum statutis, considerans unamquamque linguam quibus exaratum est Fœdus apud unam pluresve civitates socias Communitatis esse linguam publicam,

consultum statuit hoc :

cap. 1

Linguæ publicæ et linguæ inter opera institutorum Communitatis adhibitæ Anglica, Danica, Finnica, Francogallica, Græca, Hispanica, Italica, Lusitana, Nederlandica, Suetica, Theodisca sunt.

cap. 2

A civitate socia sive a cive alicuius civitatis sociæ scripta quælibet ad instituta missa, ad libitum mittentis dari possunt unâ ex linguis publicis. Rescriptum necessario eâdem linguâ mittitor.

cap. 3

Ab institutis scripta quælibet ad civitatem sociam sive ad civem alicuius civitatis sociæ missa linguâ huius civitatis dantor.

cap. 4

Consulta et alia scripta communis rationis undecim linguis publicis dantor.

cap. 5

Acta publica diurna Communitatis undecim linguis publicis in lucem dantor.

cap. 6

Instituta modum huius consulti applicandi rerum agendarum ordine definire queunt.

cap. 7

Usus linguarum in litibus ante Iudicium agendis proprio rerum agendarum ordine definitur.

cap. 8

In civitatibus sociis ubi plures vigent linguæ publicæ, usus linguæ rogatu huius civitatis secundum normas ex legibus huius civitatis statutas definitur.

Consultum hoc omni ex parte viget, ilicoque in unaquaque civitate socia legis instar valet.

Ad has versiones in varias linguas faciendas officinæ exstant interpretum in singulis institutis operantes, quarum maioris momenti constitutæ sunt officinæ apud summum Europæ moderatorum Collegium (sive *Commissionem* quam vocant nostrates), in Concilio administratorum publicorum supremo, et in Senatu Europæo qui est publicus Cœtus legibus ferendis. Officinæ autem sunt interpretum et locutorum et scriptorum omnino separatæ.

Explanare iuvabit - ut ab una discatur omnis - nonnulla de modo operandi illius officinæ scriptorum interpretum quæ apud summum moderatorum Collegium munere fungitur suo. Illic interpretes sunt undecim linguarum publicarum periti ex quindecim nationibus sociis oriundi numero circiter mille et trecenti. Plus sunt feminæ quam viri. Nemo nisi studiis academicis (non necessario philologicis) perfectis, examinibusque superatis, in interpretum numerum accipitur. Omnis interpres textus varios propositos ex variis linguis (per raro ex undecim, generatim ex tribus vel quattuor vel quinque linguis quas quis calleat) non nisi in sermonem suum patrium vertit. Proponuntur autem textus ex variis fontibus : primum sunt textus externi, a civibus sive a civitatum sociarum moderatoribus suis linguis missi qui intra *Commissionem* quam vocant tractentur ; qui textus ex variis linguis præsertim in Anglicum et Francogallicum sermonem vertuntur, vix in alios. Causam dico. Si quis (puta) Hispanus postulationem vel quæstionem quamlibet Hispanicè Bruxellas mittit et ille cuius est munus et officium eam tractare est Græcus, oportet primum, fortasse non Græcè, sed saltem Anglice vel Francogallice reddatur hæc quæstio ut intellegatur. Hic labor non est minimi æstimandus. Numerus enim paginarum externarum pro singulis linguis minoribus anno 1999 fuit hic :

1999	Danice	Neo-græce	Hispanice	Finnice
	7.332	11.708	18.163	5.358
	Italice	Nederlandice	Lusitane	Suetice
	22.740	17.255	8.298	5.725

Textus autem interni plerique Anglice vel Francogallice scribuntur : e.g. rescriptum illius Græci veri similiter ab eius in grapheo adiutoribus Anglice vel Franco-gallice dabitur et postea iterum in linguam Hispanicam verti debet ut illi Hispano mittatur. Hæc est causa cur semper oporteat saltem linguam Anglicam et Francogallicam (præter patrium sermonem) calleant interpretes, cum plerique textus interni qui interpretibus proponantur his linguis ab initio sint exarati (sed infeliciter non semper a patriis locutoribus scripti !).

Sunt ergo e.g. Germani, Austriaci et nonnulli ex aliis civitatibus qui in linguam vertunt Theodiscam, similiter Angli vel Hiberni in linguam Anglicam et ita porro. Numerus autem interpretum singulis linguis non est idem. Singularum maiorum linguarum, Anglicæ scilicet, Francogallicæ et Theodiscæ interpretes numero sunt fere centeni et quinquageni. Maiores autem vocantur hæ linguæ, non quod maioris momenti sunt, sed quia ut modo dictum est textus qui exarantur interni plerumque his linguis scribuntur antequam publici fiant iuris aliisque publicis linguis divulgentur. Insuper non omnes textus in omnes linguas vertuntur, sed maior pars solummodo Anglice, Francogallice et Theodisce exstat, cum ad internum tantum valeant usum. Quo patet necessitas maioris numeri harum linguarum interpretum. Singularum autem linguarum minorum interpretes sunt numero circiter centeni. Textus demum sunt maxime varii : epistolæ, recensione, orationes, responsa ad quæstiones, documenta, modo technica, modo generalia, modo ad res nummarias spectantia, modo politica, consulta et decreta, aliaque multa.

Nunc ad nervum rerum accedamus : sæpius enim interrogatur de sumptibus harum interpretationum. Quot pecuniæ ad has versiones faciendas erogatur ? Quot ad interpretationes ex tempore in consiliis et conventibus faciendas ? Quæ pecunia revera non Europæa est, sed illorum quibus, volentibus nolentibus, modo plus modo minus, imponuntur vectigalia vel tributa. Quot igitur expenditur ? Estne multum ? Estne nimium ? Ipsi iudicetis : ad interpretationes et scriptas et ex tempore in varias linguas faciendas erogantur quotannis pro unoquoque cive septenæ millesimæ partes (0,7%) summæ annuarum impensarum totius Confœderationis Europææ. Hoc significat ab unoquoque nostrum ad hæc impensa quotannis binos nummos Europæos solvi, vel 4 marcas Germanicas, 4.000 librarum Italicarum, 80 francos Belgicos, 320 nummos Hispanicos.

Quod autem ad scripta attinet : numerus paginarum redditarum est ingens ; quotannis circiter decies centena milia et ducenta milia (1.200.000) paginarum in varias linguas vertuntur.

### III.

Deliberandum nunc videtur de futuro : quo modo annis proxime futuris sit procedendum. Mox - fortasse iam intra biennium vel triennium - accedent ad Confœderationem Europæam Hungaria, Æstonia, Slovenia, Bohemia, Polonia, Cyprus. Sex adduntur civitates,

quinque linguæ erunt addendæ (Græca iam est). Postea, idque sat celeriter, veri similiter iam ante annum 2010, accedent Lithuani, Lethoni, Slovachi, Dacoromani, Bulgari, Melitenses, Turci : iterum septem civitates, septem linguæ addentur. Sic augebitur, idque modo exponentiali, ut dicunt mathematici, non solum numerus civitatum et linguarum, sed necessario numerus paginarum, numerus interpretum, numerus grapheorum, numerus impensarum.

Sed iam ante ipsum novarum civitatum accessum ingens instat labor. Etenim ante novarum civitatum ad Confœderationem Europæam accessum necesse est ut fœdera et leges primariæ quæ dicuntur in earum sermonem patrium vertantur ita ut a populi legatis agnoscere possint et sanciri. Agitur autem, quod ad copiam attinet, circiter de sex milibus paginarum pro fœderibus, inter quæ notissimum est Traiectinum. Numerus vero paginarum primariarum legum, i.e. legum quæ sine ulla peculiari sanctione vel, ut ita dicam *ipso facto* sive directo, vim et vigorem in quacumque civitate socia obtinent, est octoginta milium. Qui labor improbus nunc perficitur et ante ipsam accessus et iunctionis diem perficiendus erit.

Aliud est quod Confœderationis Europææ moderatores in dies magis ad usus electronicos se convertunt : creantur paginæ domesticæ variorum institutorum et moderatorum et præpositorum, crebriores et celeriores nunc fiunt communicationes per cursum electronicum, et hæc omnia cum ad universos cives generatim sint destinata omnibus linguis publicis gradatim sunt perficienda, sic non solum plus, sed insuper celerius laborandum est illis quorum est munus textus variis linguis Europæis et componere et vertere.

Quæ nunc prævidentur remedia quibus enodari possint difficultates ?

Primum præstituebatur proponebaturque varios textus vertendos - faciliores præsertim textus neque technicos neque urgentiores - foras dari ut ab extraneis interpretibus verterentur, et veri similiter numerus paginarum quas vertant extranei interpretes annis proxime futuris reapse ita augebitur, ut correctio tantum illarum paginarum ab ipsis qui nunc sunt interpretibus fieri debeat - interpretes igitur plus plusque fient correctores - præter illos scilicet textus secretiores qui sunt habendi quique foras dari nequeunt ; dein proponebatur minui gradatim numerum interpretum, quo novis linguis daretur spatium. Erit enim opus ducentenis circiter singularum novarum linguarum interpretibus annis proxime futuris arcessendis. Hæc erant quæ præparabantur ad quinque linguas addendas. Sed hoc modo hisque subsidiis maius incrementum digestibile fore

vix videtur. Quid aliud? Mutari possit illud primum consultum de linguis publicis quod modo vidimus; quod tamen vix effici poterit cum unanimi tantum consensu omnium civitatum sociarum fieri possit. Insuper caput 21 (antea 8D) Fœderis Romani similiter statuit de linguis publicis.

Ceterum si mutaretur quo modo esset procedendum? Quæ lingua publica esset renuntianda? vel quæ linguæ? Anglica? certe Anglica lingua in toto orbe latius est prolata valdeque generatim nota, et media pars incolarum Confœderationis Europææ Anglice loqui valet, sed Anglorum rectores interdum non optimi videntur esse Europæi neque libenter rebus se Europæis dedicant. Insuper hoc modo emolumentum illis esset maximum quibus sermo hic publicus si renuntiaretur esset patrius. Idem dic de lingua Francogallica, idem de Theodisca. Quarta pars incolarum Europæorum Theodiscam linguam sermonem habet patrium, insuper Germania maximam partem impensarum Confœderationi Europææ præbet: non ergo licebit Germaniam et linguam Theodiscam præterire. Et quid de Italis et Hispanis, ut ceteros taceam, num libenter sermones suos prætermittent aliorum linguam accepturi? Vix igitur fieri poterit ut minuat numerus linguarum publicarum. Ergo fortasse minui debet numerus paginarum? Per se fieri poterit ut copia textuum minuatur qui nunc in linguas publicas verti debeant, præsertim ubi agatur de textibus qui nondum sint ultimi atque immutabiles. Tamen interrogandum erit an civium iuribus damnum afferretur, si e.g. quæstionis propria lingua præpositis mittendæ facultas civibus demeretur, vel legum Europæarum cognoscendarum quæ (exemplum ut afferam) sunt de noxiis ciborum additamentis latæ. Aliud esset documenta interna, quæ sunt e.g. ad conventum quendam præpositorum vel administratorum destinata, tribus tantum vel duabus linguis, i.e. veri similiter Anglice, Francogallice et Theodisce, non iam omnibus linguis publicis præbere. Tamen: num placebit Lusitano administro publico vel præposito (ceteros prætereo) Anglica vel Francogallica legere, ubi agatur de rebus maximi momenti?

Alia sunt proposita: velut varias variorum institutorum interpretum officinas in unam coniungere (quo pacto et impensæ minuantur generales et numerus interpretum, sed fortasse inter instituta de principatu inter interpretes et interpretationes reddendas contendetur), sive – contrarium – interpretes ipsos variis institutis et grapheis adscribere ipsamque officinam abolere (quo pacto interpretes varie peritos singulis locis aptius liceat collocare, sed hoc modo fortasse sæpius eadem vel similia a variis interpretibus variis locis perficientur). Sed cum hic adsimus Latinitatis cultores, dubio procul

nonnulli dicent: quid tandem de lingua Latina? Poteritne lingua Latina Confœderationis Europææ publica renuntiari? Certe poterit. Sed quæsitum est utrum reapse condiciones nunc sint opportunæ. Quas condiciones inspiciamus oportet.

Primum dicam initium – licet humile sit et modestum – novæ Latinitatis Europææ iam esse factum. Initio huius orationis sententias proposui duas Latine redditas, et consultum primum de linguis publicis anno 1958 renuntiatum. Quod consultum ipse Latine reddidi cum linguis tantum undecim publicis exstet. Sententiæ autem incepto nonnullorum moderatorum Confœderationis Latine publice sive *officialiter* sunt redditæ, sunt ergo unicæ quæ nunc exstant versiones Latinæ publice factæ et sancitæ et adhibitæ.

Adhibebuntur enim illis occasionibus ubi undecim linguas adhibere nimis longum evadat nimisque onerosum. Certe: quid sunt duæ sententiæ in tot paginis? Vix quicquam; sed iterum quærendum est: si nunc exstarent illa multa milia paginarum Latine publice reddita, quis eas legeret?

Antequam igitur de lingua Latina publica renuntianda deliberandum sit, multa – mihi quidem videtur – necessario sunt aptanda et renovanda et instauranda in institutione publica linguæ Latinæ, et aliarum linguarum, omnibus in scholis et studiorum universitatibus civitatum sociarum huius Confœderationis. Insuper – quod omnium est difficillimum – mentes et ingenia mutare, de linguis earumque usu opiniones inveteratas variis in civitatibus Europæis ex sæculis vigentes transformare: labor restat immensus quem nunc emetiri longum est. Tamen spes non est deponenda: fortasse melius est serio contendere ut nonnullæ sententiæ Latine et – quoad fieri poterit – bona Latinitate reddantur, quam talia *incepta*, licet sint minima, neque nimis profunda, ab initio spernere vel dimittere. Quibus radicibus utinam novi oriantur pulchri et delicati surculi virescentis Latinitatis. Quod est in votis. Dixi. ❧

1. Conferantur quæ scripsit Gaius LICOPPE in *Melissæ* fasciculo n. 96 (m. Apr. a. 2000), p. 2-3.
2. Conferatur S. W. SIENCYN, *The sound of Europe* (Bruxellis 1993), ubi plura.
3. Aliud = alia lingua, quæ non est una ex publicis linguis Confoederationis Europææ nec Russica neque Arabica.
4. Hic recensentur ii cives Hispani qui ex sermonibus in Hispania simul publicis (« *co-officialibus* ») alium atque Castellanicum patrium sibi sermonem vindicant.
5. « *Rapport sur la nécessité et les moyens d'anéantir les patois et d'universaliser l'usage de la langue française* ».
6. De his et aliis in Francogallia condicionibus et antiquioribus et recentioribus conferatur H. GIORDAN, *Les minorités en Europe* (Lutetiae Parisiorum 1992).

## DEA ORATORIA

- scripsit Alexander Ricus Francogallus -

**C**hristophorus Ferrarius (c. 1580-1652), cuius casum unum ex multis heic invenies, lector benevolens, descriptum, re vera frater fuit Societatis Iesu, natione Lusitanus (nomen Lusitanice Christovao Ferreira) ad Iaponiam missus ut fidem christianam ibi propagaret. Anno 1633 autem, crudelissima passus tormenta, Christi doctrinam reiecit atque bonzius factus sub nomine Sawano Chûan Iaponice tractatum adversus doctrinam christianam necnon expositionem de Cælo et Terra conscripsit. Cum speculator (Iaponice meakashi) ducis Iaponis (shôgun) factus esset, inquisitiones nonnullas ad latentes christianos detegendos effecit. Coactus uxorem duxit filiamque saltem unam habuit, quæ eius discipulo nomine Sugimoto Chûkei (Sugimotus Teucæus) nupsit; is vero clarior medicus factus est ducis Tokugawa Yoshimune. De Ferrario multa leguntur in eruditissimo commentariolo ab Huberto Cieslik conscripto, cui titulus est « The Case of Christovao Ferreira », in periodico c.n. Monumenta Nipponica (XXIX, I, anno 1974, p. 1-54). Clarissimus scriptor Iapo Endô Shûsaku Ferrarii quæstum describit in romancia sua cui Anglice Silence, Francogallice Le silence est nomen.

- Pluit vehementer !

- Festinemus !

Extranea sonabant verba hæc Latina medio in Iaponiæ rure. Haud minus extranei videbantur locutores sub pluvia properantes. Alter statura communes homines superabat, crines longos nodo habebat a tergo ligatos, ut studentium mos est; in humeris ingentem viaticam bulgam leviter ferebat. Sinistra petasum stramineum tenebat quo socium ab imbribus protegere conabatur.

- Sat est, Teucæe, sat est; petasum tibi impone.

Aquam flocci non facio. Tantum dixi nobis commodius fuisse si in superiore oppido umbellas, ut monueram, ad iter providisses.

- At, Magister, nonne ipse dixisti sarcinas quam simplicissimas portandas esse, si vellemus nobiscum quam plurimos libros Iedo referre ?

Verba quæ « Magister » vocatus respondit celavit pannus quo fere totum caput involutum erat. E panno lucebant oculi tam iocosi quam perspicaces, quorum causa ultra veritatem maius videbatur tenue eius corpusculum. Qui attentius oculos hos spectavisset mirandum quid in eorum forma invenisset, at nemo circum erat in pluvio crepusculo.

Dum per solitarium tramitem inter agrestia festinant, statim lapideam lucernam aspexerunt qua semita indicabatur forsitan ad templum quoddam. Adeo zyzaniis completa erat ut vix quo vestigia ponerentur discerni posset, at disputandi tempus deerat, cum procellas se

fieri minarentur imbres neque prope apparent ædes tuguriave. Semitam continuo inierunt. Herbæ gradatim, dum clivum ascendunt, arbores fiunt, dein silva densior. Iam urceatim pluebat cum ad gradus arduos pervenerunt unde sursum videbatur templi porta.

Gradus conscenderunt, quos iuvenis centum octo numeravit, donec ad apertam portam anhelantes starent. Uno aspectu intellexerunt nullum fore monachum qui eos reciperet; iamdiu desertus erat locus. In angustiore area trans portam erat fanum, idque haud magnum, prope habitaculum monasticum, campana privata. In secessu erat sacellum genio loci dedicatum. Tum fano cum habitaculo deerant foriculæ, quarum fragmenta in perambulacellis iacebant.

Recta (quonam impellente sensu ?) ambo ad habitaculum cucurrerunt. Feliciter tectum et suggrunda satis intacta erant; mox in sicco fuerunt, quatenus siccitas in Iaponensi Iunio inveniri potest. Iuvenis modo Teucæi nomine appellatus impedimenta deposuit atque diligenter locum accommodare incepit ubi requiescere liceret. In habitaculo omni tempestati aperto nulla relicta supellex erat, sed adhuc stratæ erant storeæ, quas imbres suggrundarum causa non madefecerant; noctem placidam somnumque iucundum promittebant. Ut sæpius solet, cum tandem refugium sibi invenissent, repente destitit pluvia; procellosas nubes venti pellebant ac declinans sol lucere trans arbores incepit. Lassi viatores in perambulacello consederunt. Qui senior videbatur pannum tandem de facie sustulit. Ut iam eius oculi ominabantur, Iapo non erat ille; forma Europæum manifestabat: nasus aquilinus, infossi oculi densis superciliis arcuati, os minus, semper ironice pliatum, barba spissa ubi cani iam nigros superabant pilos. Crines habebat brevissimos, fere monastico more tonsos; cutis autem plerisque Iaponibus fuscior erat, quasi diutina apricationis opera.

Iunior e bulga oryzeos globulos algis siccis involutos accepit, quorum binos magistro tradidit. Silentes comederunt dum lucem in arboribus contemplant guttasque de foliis stillantes audiunt. Aquæ tepidæ haustus e lagoena sumptus epulas has philosophicas conclusit.

- Di boni ! Ego quondam Christophorus Ferrarius Lusitanus, nunc Sawano Chûan Iaponensis, seu, si Latinius dicere mavis, Savanus Teuanus, quidnam heic ago in media solitudine quæ a rusticissimo oppido Mæbara dimidia diæta<sup>1</sup> distat ? Quid hoc sibi vult ? Possisne tu, Teucæe, id nobis explicare ?

- Causas tantum proximas teneo, Magister: urbis prætor tibi officium secretum Meaci commisit quod ut impleres ignotus iter facere maluisti quam cursu publico, ut par erat, uti. Ego pro dolor te insequi debeo.

- Causæ sunt occasionales istæ, ut medico dignum est ; equidem, ut pium bonzium decet, de causarum conditionumque concatenatione loquor, quorum fructus nunc pati debemus. Has non apud prætorem inuenies, neque in Lusitania mea patria ; innumerandorum sæculorum opera me in hunc locum tam deorum quam hominum memoriis iamdiu decessum duxerunt. Qualia autem fuerint opera, id scire vellem.

- Adeone gravia fuisse æstimas ea ? Malane retributio in Iaponia vivere ?

- Si Iapo in Iaponia viverem, nihil haberem quod conquererem, ne conscius quidem essem fati mei. Quid autem Lusitanus in Iaponensis monachi veste agam haud facile intellegam, at ipsum intellegere, ut novisti, mihi suprema est voluntas.

- Attamen...

- Attamen de his hactenus, nam sine responsione sunt neniæ nostræ. Potius fanum hoc visamus, quod iam pridem curiositatem meam suscitavit.

Aream transierunt ad aulam ligneam, sat habitaculo maiorem, at valde aspectu tristiolem. Non sine dubitatione propter vetustatem exutis, ut mos est, calceamentis, gradibus aliquot ad ambulacellum scanderunt.

Patebat adyti frons, at tres alii parietes adhuc firmiores stabant, quamquam hic illicque foramina lucem inire sinebant. Mox occasurus sol satis interiora lustrabat ut ambo sodales clarius inspicerent.

Ubi primum intraverunt obstupefacti constiterunt.

Ante eos decem vel passibus, in altaribus reposita erat miranda statua. Mulier erat nuda cuius candidum corpus propriam lucem emittere videbatur ; more bodico replicatis cruribus sedebat, uno tamen genu parum elevato, manibusque citharam Sinensem tenebat. Arti medicæ studentem Teucæo non absque illecebra evadebat corporis illius perfectio, atque vix subrisum continuit videns magistrum suum, ut solebat, muliebri speciei offendendo timiditate percussus. Ille corpus intueri vitabat at oculos in teretem vultum tantum intendebat ; qui vultus utique dignus erat qui contemplaretur. Formositate atque iucunditate omnes eiusdem deæ imagines toto cælo superabat, quas alibi viderant.

- *Benten-sama*, summisse dixit Teucæus.

- Etiam, eloquentiæ artiumque dea, Brachmæ dei coniunx ; edepol, haud inscitus artifex illam confecit ! Quo autem modo tam præclara statua in hoc destituto loco relinqui potuerit comprehendere nequeo. Nec ad aliud monasterium eam transtulerunt bonzii, neque latrones manum in eam miserunt. Singularem quidem fortunam !

Adytum circumspexit, dein oculos casu elevavit.

- Hæc aspice !

Digito lacunar ostendebat. Et Teucæus caput reiecit. Vidit totum lacunaris spatium ad quattuor angulos usque mirabilibus signis conscriptum. Sinica hieroglyphica non erant, sed litteræ eis similes quæ sepulchra ornant.

- Hæc sunt... Latine aptum vocabulum ei deerat.

- Brachmicæ litteræ, seu Indicæ, qualibus utuntur præcipue esotericæ sectæ. Pulcherrimum heic nobis datur exemplar tabulæ mysticæ, qualis Sanscritice « mandalum » vocatur. At mandala plerumque deitatum imaginibus depinguntur. Heic vero pro singulis deis littera Indica scripta est. Huius generis mandala « germinalia » nominantur, quia litteræ pro germinibus habentur deitatum.

Paulisper tacens attentius lacunar inspexit.

- Mirum admodum, murmuravit.

- Quidnam animadvertisti ? Non ignorabat Teucæus quam eruditus esset Ferrarius rebus bodicis, quibus ipse præter trivialia a pueritia imbuta numquam studerat.

- Huius tabulæ mysticæ dispositio sat extraordinaria est. In medio enim non est Evigilati Solaris littera inscripta, sed ipsius Oratoriæ.

Iuveni haud parum placuit nomen novatum illud « Oratoria ». Ut solebat, Ferrarius astute vocabulum stante pede invenerat quo *Benten* verteretur : *Benten* seu *Benzai-ten*, Eloquentiæ atque Rhetorices dea, Oratoria scilicet. Firmiter id memoria tenere statuit.

- Aspice, pergebat ille, syllaba SU in centro scripta est, quam Iapones « so » pronuntiant, quattuor in quadrati primi angulis litteræ TRĀH, RA, I, HAM, dein in linea altera litteræ undeviginti. Huc usque nihil mirandi, nam solitum est Oratoriæ mentipictum, cui utuntur ascetæ quidam monticolæ.

Cum Teucæum vocabulo hoc novato perplexum adverteret, breviter explicavit :

- Nonne hæc tibi optima interpretatio esse videtur verbi « mandalum » ? Malisne « psychogramma », equidem vocem Latinam sequar : nam quasi pictura est mentalis.

- Optime profecto, Magister, « mentipictum » usurpabimus.

- Hoc autem Oratoriæ mentipictum heic in centro insitum est magni illius mentipicti cui nomen est Fetalis Receptaculi Mundus. Id incongruum evadit.

- Refertne singulariter mutatio ista ? Fortasse huius templi fundator erga Oratoriam « devotionem specialem » fovit.

Gloriabatur interdum Teucæus se nonnulla arcana novisse ad christianam fidem pertinentia.

- Fieri potest. Vide insuper Oratoriæ nostræ carmen in

singulis columnis eisdem Indicis litteris inscriptum :  
*Om namo Sarasvataye Svaba.* Aliud quid mihi redolent  
ista.

- Quidnam, Magister ?

- Nigromantiam. Si Lusitanus inquisitor essem, malefici-  
cum statim quærerem.

- At tu es Lusitanus inquisitor.

- Heic, bone mi Teucæe, christianis investigandis fun-  
gor, haud bodicis. Nihil nobis hæc, præter doctam  
curiositatem. Utiq;e cras prima luce mentipictum hoc  
in tabellis meis transscribam. Nunc iam nihil pæne  
aspicitur.

Ferme nox erat cum habitaculum intraverunt. Teucæus  
e bulga candelabrum plicabile, ad viatorum usum,  
sumpsit ; incensaque ignitabulo candela, uterque  
librum e marsupio extraxit atque vel horam dimidiam  
in doctis colloquiis degerunt. Dein, rusticis exstructis  
stragulis, in somnum delapsi sunt.

Multa nocte subito experrectus est Teucæus. Vocem  
quasi somnio audiverat. Non tam vocem quam clamo-  
rem. Vidit prope Ferrarium iam in perambulacello  
stantem qui versum fanum intuebatur. Appropinquavit  
iuvenis : e fano lux manabat quasi rubra et clamores  
illinc. Indutis calceamentis, sodales silenter aream tran-  
sierunt ædiumque angulum ad apertum parietem quem  
ab habitaculo aspicere nequibant. Flexis genibus, ocu-  
los tantum super podii tabulas levaverunt intuendi  
causa. Tunc infanda aspexerunt.

Sanguineum iubar fanum illustrabat, neque cernebatur  
unde ortum esset. In medio fano iuvenis mulier nuda  
iacebat, adulescens fere ; membra eius varica cuneis  
alligata erant in pavimento plantatis. Miseranda voce  
modo gemitus proferebat, modo stridenter ululabat,  
prout a binis creaturis torquebatur. Hæ homines non  
erant, sed monstra infanda aspectuque horribilia, semi-  
bestiæ pelle squameæ, oribus aviariæ, pannis vix ves-  
titæ ; rubræ erant minusque corpora æstuantia vide-  
bantur. Incendentibus forcipibus miseræ artus fodie-  
bant ; ustæ carnis foetor aulam implebat. Mulieris vul-  
tus propter dolorem deformis exsistebat ; lacrimæ, san-  
guis e labiis effusus, sudor, latices humanitatem eius  
occultabant. Dementer interdum ridebant dæmonia.  
Cachinni, ululatus, gemitus inexplicabiles confunde-  
bantur.

Diutius oculos a nudo tortoque corpore avertere non  
potuit uterque. Primus Ferrarius fanum conspexit cubi-  
tuque Teucæum percussit ; is magistrum suum intui-  
tus est, qui mento breviter imam partem ei monstravit.  
Fere exclamavit. Dea Oratoria quam nuper aspexerant  
nunc permutata erat.

Candida semisedens statua nunc plane stabat ; cyaneus

factus erat corporis color, unde ineffabilis insanitas  
exsudabatur. Dulces manus quæ modo citharam cane-  
bant multiplicatæ erant ; dea nunc octomanis facta  
varia arma vibrabat : arcum, sagittam, gladium, lan-  
ceam, securem, clavam, discum ferreum, laqueum, quæ  
omnia cruore maculata erant. At præsertim timore cap-  
tus est Teucæus cum statuæ vultum aspexisset : venus-  
ta teresque facies nunc serpentis foedum rostrum præ-  
bebat. Verene statua erat ? Dea inter dolores versantem  
puellam anguinis oculis intuebatur ; interdum bifidam  
linguam tenues labiæ frigido risu emittebant, quasi  
deitas miseræ excruciatibus atrociter delectaretur.

Novissimum portentum animadvertit extemplo  
Teucæus : non in pedibus stabat ea, sed super lotifor-  
mem basin sublime suspensa erat.

Ferrarius discipulo susurravit : « Litteras ! » Is, qui ocu-  
los vix ab obsceno spectaculo avertere poterat, tandem  
elementa magica prius aspecta advertit : et ea transmu-  
tata erant penitus. Tum mentipicti syllabæ cum carmi-  
na in columnis inscripta nova exsistebant, quæ Teucæo  
ignota erant ; limis oculis Ferrarium aspexit, qui avide  
ea intuebatur.

Horrificum quid accidit : hucusque spectatores erant  
quasi extranei portenti istius nefandi. Extemplo excru-  
ciata puella oculos ad eos vertit, atque vox eius quasi  
eminus prolata audita est, quasi altis interpositis  
aquis : « Succurrite, quæso, succurrite ! » Renovata tor-  
menta paulisper eam impediunt ne pergeret, dein :  
« Peccavi, nefarie peccavi ; filia sum negotiatorum  
oppidi Mæbaræ. Ut parentes iuvarem, fabali iuri quod  
monachis vendebamus aquam miscebam ut illegitimo  
lucro frueremur. Pro tanto peccato recte in infernos per  
immensum ævum delabi debebam, at misericors dea  
permisit ut id ante mortem expiarem. Singulis mensi-  
bus noctem sic me torquent famuli illius, donec mona-  
chos defraudare desinam. Infeliciter dum vigilo,  
omnium horum cruciatuum oblita in dolo persevero.  
Idcirco vos obsecro, cras ad parentes meos ite, meque  
vigilantem ita admonete ut iam rectam viam sequar ;  
sic finem capient excruciatu mei. » Trepide nomen  
tabernæque locum indicavit dum dæmonia crudele  
officium resumunt. Inter eius verba dea Oratoria algi-  
ficam oculorum aciem eis intendebat, bifidam linguam  
interdum emittens.

Continuo exstinctum est lumen infernum quo illustra-  
batur aula. Tenebræ fanum cooperuerunt silentiumque  
supernaturale. Magister discipulusque per noctem fuli-  
gineam pedetemptim ad habitaculum redierunt.

Teucæo videbatur insolitum frigus ossa transfigere.  
Repetito tandem turgurio, sese vestibus involverunt  
atque diutius frustra dormire conati sunt. Ne verbum




quidem ore fecerunt.

Prima luce e gracili somno experrecti frugaliter denuo oryzeis globulis ientaculum sumpserunt. Teucæus cavebat ne oculos ad fanum verteret. Ferrarius mente aliquid agitare videbatur intente. Extemplo discipulum valde obstupescit ille monens antequam iter pergerent se velle fani litteras Indicas transscribere. Satis sapiebat iuvenis ne magistri propositis obstaret atque illum ad sinistrum ædificiolum secutus est. Ædium angulum ubi transiit, vix audebat aulam intueri ; haud sine horrore statum vidit ad priorem aspectum redditam. Idem dulcis vultus videbatur, ubi autem is nunc lubricum quid inveniri putabat dolosumque, atque insuper acutius perspicere potuit latens numen quod prius celaverat muliebris iucunditas. Ferrarius autem eiusdem timoris immunis videbatur ; codicillum, penicillum, atramentarium portabile mox manu tenebat atque curiose inscriptiones transscribere cœpit omnes. Satis inquiete Teucæus circumspiciebat, at nocturnorum incuborum vestigium detexit nullum. Litteræ omnes eæ demum erant quas die viderant ; parietes columnæ tabulatio priscam derelictionem manifestabant. Horas fere duas consumpsit transscriptio. Deinde, vasis paucissimis collocatis, viæ se commiserunt sub iucundiore cælo.

Prono iam a meridie sole inter nubes, Mæbaram pervernerunt, oppidum oryza negotiosum quo totius provinciæ agricolæ confluebant. Panno involutum Ferrarii vultum nemo advertibat, plerique transeuntes binos homines recte iudicabant monachum esse studentemque Meacense monasterium quoddam petentes doctrinæ causa. Medium vicum tabernis marginatum cum multis rusticis intraverunt atque iuris fabalis mensam quærere cœperunt nuper a puella indicatam. In angiportus angulo eam tandem invenerunt, angustam obscuramque tabernam ubi una tantum famula emptores exspectabat.

Dum intrant, haud mediocri admiratione raptus est Teucæus ; famula enim ipsa erat mulier quam superiore nocte in agresti fano cruentam a dæmoniis dilaniatam viderant. Nunc præteritorum suppliciorum nullum præbebat vestigium, at vultu pallidissima erat fessoque gradu eis advenit : « Salvi sitis », debili voce eos accepit. In itinere Ferrarius agenda monuerat, itaque discipulus processit : « Fac, puella, ut parentes tuos alloquamur ». Adeo graviter verba ore fecit ut continuo pallidula ad imam tabernam iret et patrem matremque vocaret, qui in postica diæta, ut putatur, negotiis vacabant. Filiæ inquieto sono concitati parentes advenerunt Ferrarii que involutam faciem haud sine timore aspexerunt ; in sublimi storea genibus procumbentes eos



*Hiroshige Utagawa  
(1797-1858),  
Plenilunium in loco  
dicto Mimeguri  
(Parisiis in Museo  
Guimet)*

reverenter salutaverunt. Perrexit discipulus : « Hic meus magister magnæ auctoritatis potentiæque monachus est. Novit - quibus auxiliis vobis non est sciendum - filiam vestram nunc temporis multifarie pati atque eam adjuvare potest, dum præceptis illius obœdiatis ». Timori spes in eorum vultibus cessit ; interrogante Teucæo asseveraverunt filiam singulis mensibus nocte horrendos incubos aggredi paulatimque valetudinem eius in peius decrescere, quæ olim tam sana quam læta fuisset. Neque medici neque bonzii contra profuerant. Tunc magistri auctoritate hæc pronuntiavit discipulus :

- Filia vestra in monachorum ecclesiam fere inexpiabilia peccata admisit, quæ vilis lucri causa illos defraudare non dubitavit. Ubi a fraudibus suis destiterit, finis erit eius dolorum.

Flens agnovit puella fraudem atque iuravit se fideliter cum monachis negotiaturam esse. Pariter flentes parentes polliciti sunt se pecuniam illicitam bonzii reddituros esse. Certiores eos fecit Ferrarius his peractis iam nullam sollicitudinem eos turbaturam esse.

Inter gratias, recusatis parentum donis, discesserunt. Trans oppidum ierunt popinamque ad extremam viam sitam intraverunt ut prandium sumerent. Cenaculum separatum poposcit Ferrarius ne extranea sua facies importunam aliorum curiositatem suscitaret. Edax Teucæus, post priorum dierum coactam frugalitatem, cibos devoravit, ter quaterque oryzam sumpsit, cum magister eius consueta sobrietate se sustentaret, aliquid, ut videbatur, iugiter secum reputans. Tandem dum theam sorbillant, satiatum discipulum allocutus est Ferrarius :

- Nonne, mi Teucæe, permiranda æstimas ista omnia ?

- Immo, Magister, horrenda admodum ; numquam istius serpentis feminæ vultus e memoria mea

delabetur.

- Horribilis quidem erat, sed hanc non dico. Quod me maxime perplexatur hoc unum est : censesne bonzios magnopere lædere mulierculam tantulam quæ aliquando iuri fabali aquam misceat ?

- Verum est, Magister, plerisque in his partibus monachis effuse affluunt opes. E contrario dicam recte egisse eam, quæ parentum gratia tantarum divitiarum aliquantulum sibi devertere voluit.

- Cur igitur dea talem ultionem nobis ostendere voluit, tam peccato imparem ?

- « Nobis » dicitis, at potius æstimem te ipsum a deitate spectatum esse. Quid enim tanta dea cum mihi discipulo amanuensique ?

- Recte mones. Ergo huius casus summa moralis non in supplicio erat, neque in peccato, sed in litteris.

- In litteris, inquis ?


- Etiam, in litteris Indicis, in his magicis elementis quæ permutata vidimus. Feliciter hæc omnia heic accurate transscripsi.

E sinu pugillares extraxit eosdemque digito leviter pulsavit :

- Illius portenti clavis heic iam inest. Aliquid significavit dea, quod detegere mihi dehinc religioni erit.

E popina exierunt itinerique se commiserunt. Adhuc procul distabat Meacus. ❧

1. Iter unius diei (cfr. Du Cange, Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis, s.v.).





# In hoc fasciculo !

*De seminario Brasiliensi [D. Morgan] p. 1*

*De usu et varietate linguarum in Europa cogitationes [V. Jenniges] p. 3*

*Dea oratoria [A. Riccius] p. 12*



## LATINE LOQVI...

### SEMINARIVM LATINITATIS VIVAE

Seminaria Societatis Latinae sunt prima huius generis, quae inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer, Latinitatis omnium aetatum vere peritus, et D.rix S. Albert, quae tirones delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit ac textus Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit. ¶ Duo seminaria anno 2001 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 22-28 m. Iulii a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de) ¶ in Belgica in abbatia Maredsolana : 4-11 m. Augusti a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles, inscriptio electronica : guy.licoppe@pophost.eunet.be

### FERIAE LATINAE

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, loco amoenissimo et quietissimo, a die 27 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti fient feriae aestivae inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. Invitantur non solum professores et docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cuiuscumque muneris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

### SEMINARIVM OPOLIENSE

14-21 m. Iulii a. 2001 fiet in Silesia, in pulcherrimo castello quod continet Sanctuarium Sancti Hyacinthi et Centrum Scientificum Universitatis Opoliensis. Thema huius anni erit de Silesia imbuta humanismo Europae. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen, [ipg@surfeu.de](mailto:ipg@surfeu.de)

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Permultis linguae Latinae cultoribus non solum Americae Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conventicula Latine loquentium, quae Lexintoniae in civitate Kentukia quotannis celebrantur. ¶ Conventiculum anno bis millesimo primo a mensis Iulii die vicesimo usque ad tricesimum agitabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : [clatot@pop.uky.edu](mailto:clatot@pop.uky.edu)

### CONVENTICVLVM RVSTICVM VASINTONIENSE

habebitur mense Iunio anni 2001 in urbe Vasintoniensi Wenatchee, cui nomen Latinum est Aquae Albae de die 23. mensis Iunii usque ad diem 1. Iulii. Moderabuntur Terentius Tunberg, Stephanus Berard et Iacobus Dobreff. Inprimis placebit huiusmodi conventiculum eis quibus cordi sint amoenitates locorum quique ament amice garrientes, linguae peritiam meliorem facientes silvas montesque et alia loca rustica perlostrare. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Stephen A. Berard, Department of World Languages, Wenatchee Valley College, 1300 Fifth Street Wenatchee, WA 98801, [sberard@wvcmail.ctc.edu](mailto:sberard@wvcmail.ctc.edu)

### SEPTIMANA AMOENEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 22 ad diem 28 m. Iulii a. 2001. Et discipuli et studiosi et magistri et alii invitantur ad exercendam loquelam Latinam et colendam rem coquinariam Romanam. Etiam instrumenta musica desiderantur ! ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen, [Goelzhaeuserpost@hotmail.com](mailto:Goelzhaeuserpost@hotmail.com)